ILLVSTRISSIMAE ET INTEGERRIMAE HEROINAE VICTORIAE COLVMNAE AVALAE PISCARIAE PRINCIPI, Bona Ventura Pharusius Corregiensis Religionis Oliuetanę Monachus.



I iuxta Platonis edictū, in Epistola ad Dionysium VICTORIA maxima Heroina, Columnensis Familię vno omnium consensu Basis, Splendor, & Trophęum, temporis ultra uitę opera subsecuturi, curam geris. Procul dubio post corporis internicionem aliquid super fore diuinas, quod humanarum rerum susurros & iudicia nō ignoret, qui autem ingenij fæditate caligant, hęc ipsa prę-

sentire non ualent. Aequum fuit ut ea quę, pro animi mei sententia, mansuros post obitum dies pollicentur, tuę dignitati dicaremus, consultoq; igitur Principes alios qui pręsentia colunt, ruitura diligunt, duratura despiciunt pręteriuimus. Quam obrem cum praesens CLARII LEONARDI *Scbipani Epigrammaton uolumen laboriose fuerimus expiscati tibi optimę Piscarię Principi consecrare animum induximus, persuasi tibi post collatam in Naturę rerũ omnium parentis tenebras deprendendas operam, castũ elegansque carmen neglectui nequaquam futurũ. Eoque libentius hoc negocium suscepimus, nam primum huius uoluminis epigramma tibi ipsi nuncupatũ reperimus. Sunt & alia, in quibus supra nomen tuum, Pompeique Columnę Cardinalis ita studiose decantatur ut tantus uir, tantę Domus Columnę in nixus pene uideretur. Accessit ad hęc mutua inter te & Religionem nostram pietas, ut munus qualecunq; hoc nostrum sit gratię apud te*

plurimum posit aucupari, quod si ita usu uenisse
pernouero, tuo auspicio, tuisq; suppetijs Qua
draginta Elegias, in quibus Schipanus om
nipotētis Dei qui salutē nobis dedit trā
situm non minus Romane quam
Diuine meditatur, imprimemus.
Vale & munusculum si non
a principe ad Principē ab
Religioso tamen pau
perculo, ad Religi
onis cultricem
missum ne a
spernere,
& quas prote sępiuscule orationes
apud optimum Maximūq; deum
effundimus, sint tuę syncerif
simę animę quoquomodo
profecturę. vale Iterū.
Neap. Idibus Octo
bris. 1534.

Clarij Leonardi Schipani Epigrammaton Liber. Ad Victoriam Columnam

SI quoque nunc ueteres ornaret Pallas Athenas,
Prodirentque sacro uerba uerenda tholo.
Te mea Musa uelim potius Victoria libret,
Nam prior est Graia nostra Columna Dea.
Hanc sine naturę cæcos uidisse recessus,
Et uerum è Piceis elicuisse locis.
Post loquere, Heroas illi si mulseris aures,
Confusus dicet zoilus, illa probat.

De Constantia Auala Francę Villę & Victoria Columna Piscarię principibus.

Prò Deus exclamat nimio Campania questu,
Detectum fugit prisca senecta malum.
Nos ruimus cęcis confusi corda tenebris,
Respondet dubijs nullus & Oiclides.

Hęc ait, Inarimen deus inquit perge uerendam,
Hic tu semideas deuenerare duas.
Vtraq; Deiphobe est, cęlestiq; utraq; uultu,
Hinc uisus, illinc pectora sacra coles.

De Petro Toleto Neapolitano prorege

Cur Mars Odrysia pellis legione Toletum,
Et pateris placidę subdere fręna togę?
Expromam, quicunq; ciet fera pręlia miles,
Auspicio confert impia tela meo.
Audimus pia uota preces, dubioq; locamus
Euentu pugnas, quas dea cęca regit.
Hunc si bella animis armarem atq; ore fremētē,
Non dubio Boream sterneret ense meum.

De Alphonso Aualo.

Mox edendus erat fausta genitricis ab aluo
Aualus, ut cęli regia leua tonat.
Ante Iouē petiit Mars, & Zephyritis, & Hermes
Quilibet ex illa pręmia prole petit.
Mars totum, totumq; Venus poscebat & Hermes.
Flectitur omnipotens in tria uota pater.

Dixit & humane, sit Mars inuictus, & Hermei
Aualus, in uenerem prospera bella gerat.

De Pompeio Columna

Aspera terribili feruescit Thracia ferro,
Septenus tollit nomina graia Thales.
Ismara pugnaceis, doctos dat Gręcia partus,
Hęc fauet ingeniis, uiribus illa fauent.
Hoc satis, ast unus diuino plurimus undis
Pompeij partu Tybris utrunq; tulit.

Ad Alalchonem.

Pythagorę rata si famy sunt dogmata mira,
Vlteriusq; domos incolit umbra nouas.
Quo sola, quo mare, quo superos pgebat Alalcbō,
Ille tibi Cyri spiritus acer inest.
Non tot sentires ambages alter a b illo,
Nec tibi ferueret tantus ad arma furor.
Dum tibi diuinus uigilet modo Cæsar Alalcbon,
Non decet aduersis sollicitere minis.

In Laudem Venetę Vrbis

Extulerat nuper stygio romana Tyranno

Culmina, qui Rutuli contudit arma Ducis.
Antenor Venetas tendebat ad Aethera sedes,
Nomine Dux generis flagrat uterque sui
Aeneas ait, Aeternis mea Roma trophęis,
Res uetus est, terrę substulit omne decus.
Maiestas contra ille refert diuturna regendi,
Ius par Euganeos tollit in astra meos.
Tum Tyberis cœlo caput extulit, & ruit, arces
Sed Meduacus aquas, stabit at Orcus ait.

Ad Petrum Toletum Minorem.

In mediis Ocreis, Galeis, Clypeísque Iubísq;
Quę prę se Maior scuta Toletus habet.
Regáleis inter luxus, Cantúsque, iocósque
Secreto Phœbum docte Tolete colis.
Threicios inter conos, hastámque trabalem,
Orpheus Aonio proluit ora lacu.
Hannibal & Graię celebrans inimica Mineruę
Regna, Italas didicit Cecropiasq; notas.
Non Thrax hoc egit, non Pœnus, sed tulit ætas,
Non Aetas, Virtus quę facis ipse monet.

De Actio Syncero Sannazaro.

Quid Samon inſueto ſub lucis Grecia cantu,
Pythagoreę te effers ultima uerba tuis?
Illum cum nece luctantem Metapontus habebat,
Hęre leſque Deos ſemiſepultus ait.
Si ſtruit intactę uiuens delubra Parenti
Actius, & larga numina ditat ope,
Adde quod ille ſenex tetricus quę ſenſerat alte,
Magiſtris ſpreuit diſpoſuiſſe notis.
Hic quę de puro bene nouit Virginis aluo
Scripſit, & eſt libris Thuſcia culta ſuis.
Corporis ille noui celebrat poſt funera ſedes,
Huius & extincti ſpiritus aſtra colet.

In obitu Proſperi Columnę.

Hoſtibus eliſis Proſper terriſque, fretóque,
Virtutis ſocia perdomita inuidia.
Iam pridem tibi decretum conſcendis Olympum,
Et ſi te repetunt undique Romulidę.

De Suſanna Gonzaga Goliſani Principe.

Dum formę tribuetur honos, dũ blandula Cypris
Disperget uultu nubila cæca suo.
Susannę radians Diuę *dicetur imago.*
Susannę V*ates aurea membra canent.*
Si tamen A*etherij perdentur nomina uisus,*
A*mittetque suum tempore forma decus.*
Ingenij species, roseo formosior ore,
H*umani fati tempora cuncta premet.*

De Eadem.

H*eroum nuper subiit* G*onzaga senatum,*
Q*uo perducebat* F*œmina nulla pedem.*
D*eturbabatur, multi dixere virile*
H*ic cor appetitur, iudiciumque graue.*
M*atronęq, procul pelluntur, tacta pudore*
H*ęc* G*onzaga tulit digrediturque dolens.*
Sed tum P*hœbus ait poterit* G*onzaga morari,*
N*am mulier facie, pectore, mente, uir est.*

De Eadem, *&* Dorothea Sorore
Bythonti Principe.

Dum rerum genitrix spectat N*atura, sororum*

Susannę concors ulleque Dorotheę.
His ait immenso coeunt non semina mundo
Arctius, His Annam fouit Elyssa minus.
Ni mihi fas elementa foret compescere paßim,
His equidem hęrerem tertia iuncta soror.

De Dorothea Gonzaga.

Dorotheam sensit lętis constantia rebus,
Lętitię cumulo non tumuisse iugi.
Lęta viro, Socero, Natis, Heroibus amplis.
Quos dedit è prisca Gens aquiuiua domo.
Admirata nouum robur, mentemque superbi
Rettulit, arbitrio nunc Dea cęca tuo.
Non hanc casu pertactam turbabis acerbo,
Hac una experiar pectora firma Dea.
Dixit, mox rotulam uertit fortuna uolucrem,
Iampridem mater, fitque nouerca procax.
Lucida ne cedat cęcę constantia Diuę,
Tot mala non moto te decet ore pati.

De Eadem.

Picturata calet pulchris dum chartula palmis

Dorotheę, atque animam sumit ab ore sacro
Rettulit excursu uoluantur sidera cęli,
Dum uertar manibus chartula picta tuis.

De Francisco Carapha Archiepiscopo Neapolitano.

Illustri genere, atque opibus contenta caducis,
Informi squallet cætera turba situ.
Sopitũmque decus titulis mendicat auitis,
Maiorumque leui lumine clara tumet.
At neutro cupiens censeri. & utroque refulgens
Franciscus, uigili Pallada nocte colit.
Illi ego uaticinor pereuntis nomina fastus,
Hunc sęcli æterni murmura mille manent.

De Ferrando Spinello Castriuillarum Duce.

Quis Ferrandus erit grandes accensus in ausus?
Hostibus à domitis pręmia quanta geret?
Eoos uincet, Phœbi subigétque cubile,
Subdetúrque suis Hauster & Vrsa iugis.
Coniurent subiti Celtę, doctique Liburni,

Naumachidum celeri sollicitare manu.
Armeny coeant, Parthi Garamantes, & indi,
Lageęque urbes, Aßyriique Duces.
Non hunc ulla manus ualidis cunctabitur armis,
In pręceps Regum turma coacta ruet.
Liuida turba tace, cernes tua templa Feretri
Ferrandi titulis facta superba nouis.

Ad Pyrrhum Gambacurtam.

Sic uiuas mi Pyrrhe decet, sic lumina condas,
Quo tua testetur tempora fama loquax.
Vt fera concidimus, sublato munere Diuum,
Nos ubi post cineres postera lingua silet.
Decipitur male sana cohors, incisa putando
Nomina, mormoreis non moritura notis.
Illa cadunt, Pharij cecidere palatia Lagi,
Et solymę turres, Tęnariique lares.
Aemula delubris Triuię monimenta fathiscunt,
Machina nec Chalybum robore cusa manet.
Viuitur ingenio; tercentum sęcla nec audent
Ingenij minimum lędere posse decus.

Ad Virginem Mariam.

O Decus ętherię sedis sanctissima Virgo,
Virgo, Partheny sola corona chori.
Quam iuuat in pręceps actos reuocare tribuleis,
Et miseros Nato conciliare tuo.
Aspice nos olim, si non indigna precamur,
Ambiguum nostrę dirige nauis iter.
Huc, illuc rapitur pugnacibus excita uentis,
In medijs sine te uicta fatbiscet aquis.

Macro Eutycho.

Quid medicaminibus, succóque Citeidis Herbę,
In Pyliam quęris uiuere caniciem?
Inclyta quàm subitis sepelitur uita ruinis,
Quàm decet in lęta deperiisse die.
Si prima Priamum rapuissent fata iuuenta,
Ad Styga migrasset non miserabilior.
Magnus io domita potuit decumbere Peuce,
Nec sentire dolos improbe Nile tuos.
Non tot fœdasset pręlustria facta, futurus
Ludibrium terrę, Ludibriúmque maris.

Quid Macer in tanto dubitas occumbere censu?
Ne perdas, perdi posse putare mori est.
De Lacone Puero in bello capto.
Dum Puer Oebalius forti seruatur ab hoste,
Seruitio frustra brachia nectis ait.
Mors erit heu potior, iussus de hic, & memor ortus
Pręcipitem cęlsa se dedit è specula.
De Pyrrho Antonio Sapono.
Parthenope modo Siren lamentabile carmen
Fuderat, illexit quo pia corda Deûm.
Turba coit superum, rapitur dulcedine cantus,
Aegrenti queritur tum Dea fata sono:
En ego quę uasti concordo uolumina Cœli,
Contineo sedis dissita membra meę.
Flaua Ceres, pinguis Pallas, Thaumantias iris,
In mea nituntur regna rigere diu.
Admittunt questus superi, dixere Saponus
Rector erit, concors Vrbs tua, pinguis erit.
De Pharusio Corregiensi,
Casta cohors uere Saturno Rege reluxit,

Simplicitas uere mitia corda tulit.
Quod Natura semel peperit, peperisse fatēdū est
Sæpius, est similis dissimilisque sibi
Pectore syncero, nostro Pharusius eo
Fulgurat, & summa relligione nitet.
Affulget cui sancta fides, cui candida uitę
Formula, & Aetherij maxima cura boni.
Aurea quid stulti saturni sęcla putatis
Ficta, & Honoratę claustra pudicitię.

Ad suos.

Qui repetā Patriam, cædes ubi mille parantur;
Sunt ubi tristitię mille repente uię?
Occiduos potius penetrē, Scythicosque recessus,
Indorum tractus, Marmaricasque domos.
Tot mea uentosos ausus natura tremiscit,
Turbandi sensus materiamque cauet.
In nos quid furimus? non Tygris Caspia Tygrē
Infestat subitum non Aper acer aprum.
Insontes coeunt Vrsi, coeuntque Leones,
Alteriusque Lupi non ferit ora Lupus.

Corda feris hominum peiora, quid afferet unquā
Tam mucrone breueis corripuisse dies?
De Iulia Augusti.
Iulia lota cutem, nitidisque incessit Elenchis,
Læsit & Augustum tam bene compta suum.
Post habitu occurrit casto, placuisse Marito
Illo ait, hoc charum uelle iuuare patrem.
Ad Pontinum.
Aspirent superi mortalis mollia uitę
Tempora sunt, cursu prętereúntq; breui.
Littora cur subitis Maleę fugienda Liburnis,
Cur Hadrię dubios traiicis in scopulos?
Transuehere è uario compendia desine Phœbo,
Exiguam uitę meta requirit opem.
Consule defessę satis est Pontine saluti,
Vitaleis usus arcula diues habet.
In funere Cæsaris Cabanilij.
Dum ferrugineas Cæsar descenderet umbras,
Risisti casu mors uiolenta nouo.
Ah quoties hominum non uero funere gaudes,

Corporeque extincto nil superesse putas?
Aeternum uiuit sua qui bene tempora clusit,
Cæsar in hac fati conditione iacet.

Ad Portiam.

Cuncta silent tua donec uox, mea Portia mutit,
Portia dum loqueris cætera cuncta canunt.
Portia forte tace, loquitur coma, tẽpora, Palmę,
Totius uultus ętheriúsque decor.
Ah decor, unde calent superiq; hominesq; feręq;
Vnde miser siculo sæuius igne cremor.

Ad Decium.

Ridet in ore Deci puerili Dia Poesis,
Exultat uiridi blanda Thalia choro.
Aeternum Phœbus tenero pręfulget in ęuo,
Et tibi sunt lęues semper Iacche genę.
Non defecturis uolucer Cyllenius Alis,
Aerię findit nubila densa plagę.
Perpetuo iuuenis Faunos affligit Oreas,
Floret adhuc primo Naica turba sinu.
Denique quisquis habet ꝑ sacras iura Camęnas,

Quo magis in senium flectitur, ore uiret.
Tu meditare Puer, roseus cui dictat Apollo,
Quot tibi dum cantas basia, musa daret.

Fortunatos dicit qui in Fascibus moriuntur.

Felix eterno clusit qui lumina somno,
Cum Puero genitrix hubera prima dedit.
Subiicitur tantis hominum si uita periclis,
Pernicique fuga gaudia falsa uolant.

De Temporum mutatione Ad Ianum Vincentium Carapham.

Syderei cursus, Canis, Arcturi, Orionis,
Confundunt uaria tempora nostra uice.
Cum non tempus idem, consurgit corpore nostro
Materies, morbo que solet esse caput.
Hinc male digeritur multis, plerique repellunt
Fercula, sic stomacho gratia nulla uenit.
Quare ne nobis pars exturbanda redundet,
Conueniet uomitu soluere membra graui.

De Feris Libycis.

Non æstate bibit, Libycis quę pascitur oris
Bellus, cum Cancri torreat arua calor.
Haurit & aßidue riuos frigente Boote,
Quo minus urgemur fonte leuare sitim.
Miraris, cœlo feruente libyßidis undę
Fons aret, nullo manat ab amne liquor.
Suggere desueuit dum sicca Canicula latrat,
Dehinc bibit, ut pluuiis fluctibus undat hyes.
Naturam pecorum uariat constantior usus,
Sic regit arbitrio corpora nostra suo.

De Parthenio.

Irus Parthenio uitam suadebat honestam,
Monstrabat contra Cræsus amoris iter.
Laudabat Veneres, largo perfusaque Baccho
Gaudia, & aßiduis ocia mixta iocis.
Credit Parthenius Cræso, contemnitur Irus,
Vincere quem decuit perditus Irus abit.
Protinus exclamat, sunt pauperis aurea uerba
Aerea, si contra diues agenda monet.

Ad Deum Opt. Max, q;. in benefi-

cium conferre contemnentem.
Perdita quo gens ęterna pellatur ab ira,
Es Deus indigne passus obire diem.
Qui poteras transire feri ludibria fati,
Occidis humanam quo redimas sobolem.
Officiose parens tua qui uestigia temnit,
Et non fas homini consuluisse putat.
Aspicis interdum ? sed dum sors optima ridet,
Cogitat hęc superos post habuisse deos.

Ad Fidelem.

Ad me quę ueniunt non omnia munera libo
Gratius, hostilis sæpe dat illa manus.
Vt captare queat, puręque illudere menti,
Qualia Medęę dona Creusa tulit.
Sed mihi quę mittis currentia dona Fidelis,
Non ueniunt animo dissociata tuo.
Mercari hinc possem censu tua munera nostro,
Non emerem Cræsi pectus at ęre tuum.

Ad Ianum Franciscum Harenatem
Arenes Regulum illustrem.

Arenen Francisce colis secessibus æquam,
Consilioq; foues Cppida auita tuo.
Campanę fugiens felicia iugera terrę,
Qua turget uitreę clarior ora Deę,
Istic immensi penetras fastigia cæli,
Liber abingenij seditione tui.
Quid Deus, unde irę, rerũq; elementa recenses,
Quidnam uicturi simus in orbe sati.
Destituisq; aliis rapidi certamina circi,
Patritios fastus deliciasq; leueis.
Non te Parthenope decorat, sed corde regenda
Ipsa tuo, large te procul esse gemit.

Ad Garcilaum Patritium Hispanum.

Callaicis locuples fulgescit Iberia gemmis,
Auriferi effulget ditius amne Tagi.
At mage Garcilae tuo nitet illa metallo,
Thesauro longe plus nitet illa tuo.
Aeternum hic instar Phœbi lucebit Eoi,
Gemmarum in tenebris tempore fulgur erit.

Ad Ianum Ficarolam.

Parthenope quem te memoret Dea Iane laborat,
Nam grauis es, Magnus, Diaque corda tenes.
Est cui socraticus uideare, sed inquit & alter,
Hic cor Pompeii, corque Catonis habet.
Cumue Cato Dius fuerit, Magnusque, grauisque
Et uulgo, & passim diceris esse Cato.
Ast errant passim, te Cæsaris aura secundat,
Aeternus hostis Cæsaris ille fuit.

In Marcum Rubrium.

Argueris purum Rubri potare Falernum,
Fercula post, uini flat tibi serus odor.
Haurit qui multo perfusum flumine Bacchum,
Non olet ingenui Cymbia pota meri.

In Aulum Fuluium.

Post hac deterior fies, non tabida pestis
Interimit subita tristia membra nece.
Paulatim serpit, ni nunc mala gramina uelles
Mox cum Ferali carpseris Aule rogo.
Frangitur aucta prius nobis quam flectitur ilex,
Quę primo mollis tempore surcus erat.

Vulnera quę fuerant fausto coitura ueneno
Sensimus, ignaua non ualuisse mora.
Iam qui diripuit Tarpeio *pocula luco,*
Cęperat infida uasa prophana manu.
Nunc tu quem penitus nō dum uesana Charybdis
Obruit, Aeolio *contrahe uela* Noto.

In Aelium.

Victorem uirtus hostisq; potentia uicti
Ornat, & hinc uere gloria parta nitet.
Hinc ualidū Turnū *fundēs* Cythereius Heros,
Inclyta lustratę nomina laudis habet.
Magnaque ter Libyes *iterato gloria bello,*
Ardua Romanos *auxit ad astra* Duces.
Quid tibi molle genus, quid fęmina uīcitur Aeli?
Vincendo uirtus debiliora rubet.

In Leonem Physicum.

Mortaleis habitus, obstrusaque semina rerum
Qui modo iactabas explicuisse Leo.
Quaesieras generum, cui flarent basia nardum,
Optasti & generum qui uel ab ore cacat.

Gibber erat, poteras naturę lege moneri.
Cyniphius quod de gibbere perflat odor.
Ad Placitum Neapolitanum.
Quam sancte Placitus seruat pia montis Oliui
Templa, Bonam credas hic residere Deam.
Non stupra, non lusus, rapidi non cura Lyei,
Hic sacri uiolat pectora casta chori.
Fecisset priscis quondam quid natus athenis?
Eurotę aut fluuiis, quos pia Delos amat?
Rupe sub ingenti cętum seruasset Ithini,
Hęsisset nemorum uel comes ipse Deę.
Ad Paulam.
Atriden, Parin, ingentemq; Aegida perußit
Tyndaris, èdomitis rara trophęa tulit.
Atridas centum, totidem Aegidas, Paridesq;
Paula domas, quod tu iam scio maius habes.
Ad Eandem.
Lux mea quid differs? agedũ iungamus amores,
Quod nunc fata sinunt sutrahet hora breuis.
Ocyus & cœli flammis, & tygride fæta,

Ne rursum remeet pulchra iuuenta meat.
Vidi ego purpureos audaci palmite flores,
Mox matutino decubuisse noto.
Regali occurrens quoq; tu sordebis amictu,
Nec faciet gratam plurima Myrrha comam.
Non mentituris melius tractabere Phucis,
Dum sua perdit opus membra colorat anus.
Tu lepidos ueneris lusus, & uincula differ,
Iratis cumulas qui bona Vergiliis.

De Eadem.

Non amat ille suos uisus, qui cernere uultum
Negligit, & Paulę uer iuuenile meę.
Quem Coma non frangit, flaui nō aurea Phœbi
Cæsaries flectit, perpetuusq; decor.
Et cui mellifluę diues facundia linguę
Displicet, ille nouem uult reticere Deas.
Vult mutas Charites, tua uitat carmina Siren,
Exoptat Lycios nilue sonare modos.
Sicelis intereat Virgo, Charis omnis, & Aon,
Cernam ego dum Paulę saucius ora meę.

Ad Gesualdum.

Diffugio celebreis cœtus, Vrbesq; superbas,
Sepositos optat casta Thalia sinus.
Hinc traherer Gesualde tuos migrare penates,
Nostráq; secessu plectra mouere tuo.
Sed metuo Scythicum frigus, sedemq; palustrē,
Quęrimus in longam ducere sęcla diem.
Fœda palus senium properat, quo uiuitur ęstum,
Humida queis alimur edita tecta fouent.
Esse igitur malo gratis feriatus in oris;
Quam uigil & dure consuluisse mihi.

Ad Michaelem Ayerbium Sybaritum
Regulum.

Surge animo iuuenis, clari te exempla Parentis,
Fortiter ad rerum culmina summa parant.
Surge animo, Natura parens comitatur euntem,
Miraturq; Manus munia rara tuę.
Mars tibi Bellipotens inuictum porriget ensem,
Fatidicumq; dabit docta Minerua caput.
Hinc tu mille noui, fessiq; Hyperionis arces

Strayeris, Arctoi, Marmaridumq; poli.

De Hippolyto Medices Cardinali.

Obsequitur cui uix Amathus, modo nomine tātū
Nata iouis, patrem conqueror una iouem.
Post Phryges extinctos latiā uix Tybridis urbē
Oraui, ęternum non superesse tulit.
Ecce meis precibus penitus ne Oenotria tellus
Decidat, Hippolytum misit à b axe Ducem.
Quo Pleuron frendente fremit, ridente Cupido
Ridet, & adsiliunt plectra mouente Modi.
Cardineiq; tenet tranquillum cura Galeri,
Cur hoc? Hippolyti Iuppiter arma timet.

Iulio Dentato.

Dum mihi uer agerent florentia tempora Iuli,
Hęrebas lateri nocte, Dieque meo.
Post quam procubui, decussis uertice ramis,
Non solito calcas arida rura pede.
Vsus amicitias peperit, sublatus ademit
Vsus amicitias, usibus hęsit amor.
Roma manet, sed tempus erit, quo Roma iacebit,

Cyrenes lapsum tempore surget opus.
Nobis, qui sęuis Aegęi tundimur undis,
Findentur uerso mox freta forte Noto.

In Camarinam.

Nobilitas nitor est indo fulgentior auro,
Antiquum nullo quęritur ęre decus.
Patritię aspirat populi sententia Lunę,
E magnis maius quid fore censet Auis.
Nobilis à primis audet sublimia cunis,
Atq; ætas animos non capit ipsa suos.
At tibi, qui Proauos iactas qui plenior annis,
Qui segnis, censor quid Camarina dabit?
Iurabit Phario te migrauisse Canopo,
Aemilios repetes nec sine Labe senes.
Non censetur Eques, rigidam qui fugerit Elin,
Quem nisi Quadra iuuat nobilis esse potest?

In Marcum Rubrium.

Non falso passim tua prostat nomine coniux,
Externumq; petit blanda cubile soror.
Hęc nescis, altiq; refers arcana Tonantis

Prendere, & quę occulta quę latuere fide.
An subsint plures uno sub Apolline mundi,
Quid non dum structo fecerit orbe Deus.
Concipe cæce domus e poto scorta Veratro,
Cætera sunt oculis auia Marce tuis.

De uulturis augurio apud Romanos
ad Ianum Vincentium Carapham.

Vulturis auspicio iusti Romana senectus,
Sanxerat initiis orsa secunda suis.
Huius ab ominibus fertur cinxisse Quirinus
Męnia, mox cæso transilienda Remo.
Vulturis augurium hinc seri sumpsere Nepotes,
Aut cultu dignam Roma putauit auem.
Non Aquilę, non Accipitris uiuentia Vultur
More ferit, tutis transuolat arua satis.
Aut quia bissenos dextra qui uicerat Ausus:
Forte sub innocuo uulture uictor erat.

Ad Tiberium Rusilium Philosophicę
Academię Salernitanum Lectorem.

Desine iam Tiberi superas ascendere sedes

Pectore, & ingenio cernere cæca tuo.
An Phœbi plures lux una repercutit orbes,
An sacer ęterno uertitur axe Polus.
Quid propere sternit soli graue Bruma cubile,
Anquicquam stygię post uada restet aquę.
Vnde micent stellę, cur ferueat arduus ęther,
Cur Phœbe nimio sęuiat aucta gelu.
Cur & Trinacrii reuomant incendia montes,
Et currant salsis ęquora uorticibus.
Peruia iam pridem prendisti, deuia linque,
Grataque Parthenopes ocia uise Deę.

De Ioanne Baptista Castaldo.

Nuper crinita subducto uertice crista,
Ense grauis tereti, Threicióque grege.
Deposito optati Castaldus pondere belli,
Lustrabat patrię mitia rura suę.
Illexit Venerem non falsi Martis imago,
Quinetiam maior Flabat ab ore nitor.
Prosequitur iuuenem Cypris sua tecta petentem,
Adsedit ualidi fortia corda Ducis.

Blāditiis uult esse locum, Dux Aegidā mōstrat;
Falsa uenus, uisa Pallade terga dedit.

De naturę Vi non mutanda Ad Ianum
Vincentium Carapham.

Vt magnes ferrum ducit, Notus aera turbat;
Scabraque saxa rigent, nec uariare queunt.
Sic nequit ingenium turpis mutare propago
Hinc ut duricies, ut cadat inde rigor.
Hon facilis, non mitis erit, consultaque dētur
Delphica, & Arcadici sentiat ora Dei.
Iudicium leue, uix homines spectantur ab ortu;
Peius & est nullum rusticitate malum.
Fortia pręmonuit, pręclari facta parentis
In meta quisquis palluit Oenomai.
Non erit extrunco uolucer Cyllenius omni,
Sunt sua fata homini, sunt sua fata locis.

In Heliam.

Helia uina tenax sibi laletana parabat
Seruabatq; penu pocula chia suo.
Ter decies illud fert indetonsus iacchus

Mox datus exacuit luxibus ille liquor.
Lędantur diui, si rerum diffluit Huber,
Plenior & duplici stringitur arca sera
Corrumpet sua dona Ceres, corrumpet oliuum
Pallas, & infossas subtrahet Orcus opes.

In Pangonium.

Deceptum tibi me fateor plus fraude pelasga,
In mea damna doli sat potuere tui.
Qua tamen arte fuit tellus obtenta Tarenti,
Venit in hostilem nocte iuuante manum.

Ad Augustinum Niphum.

Si quid in oculto sceleris natura recessu
Occuleret, tacitum supprimeretq; nephas.
Niphe modo pœnam lueres, quę Tantalon angit,
Officeret capiti publica lingua tuo.
Hactenus obstrusit quicquid natura recludis,
Quid Deus, unde ignes, an queat esse Charō
Sed quia mira tegit, miro te interprete gaudet,
Est tibi per tenebras pręuia duxque suas.
Hinc quos septena celebrabat Gręcia lingua,

Ingenio cedunt maxime Niphe tuo.

In Arethalogum.

Qui regnis obitus, miserandaque fata minaris,
Et cessura tibi fortia castra refers.
Quàn propior, meliorque tuam Prouincia palmā
Sollicitat, mentis pręlia uince tuę.
In tę lingua procax, in te uesana libido,
Ambitio, liuor, turbida bella gerunt.
Hęc sternēs, Macedū duce, Bellerophrōte, Thyoneo.
Esonide, Atridis, Hercule, maior eris.
Et domitā Babylona, indos, uariamq; Chymęrā,
Pęrgami, Gerionen. Golchica regna ferant.
Hannibal Ausonidas ualuit superare, sed ipsum
Non tulit hinc Libycę procubuere domus.

Ferrando Caraphę Nucerię Duci.

Parthęnope exulta, niueisq; uehenda triumphis,
Tolle coronatum celsior ore caput.
Heroum primus ualidis Ferrandis in armis,
Promitit regni scęptra fouere tui.
Marę fremat Odrysius totoque superbiat Aemo

Campani contra regia castra soli.
Hic hosti oppositus, turmas euertet, & arces,
Ludet & ingenio Celtica Gesa suo.
Nunquid Strymoniā genuit te Cypris ad undam,
Amplexu Gethici sollicitata uiri?
Nam te presignem facie, ferróq; Togáq;
Illustrem, partum quis neget esse Deum?

In inaneis hominum labores Ad Ianū Vincentium Carapham.

O uarias hominum curas, Hic culmina Crœsi
Optat, & Attalico Luxuriare penu.
Illum fama loquax celum scansura perurit,
E tenebris profert si caput insipidum.
Alterius Veneris corrodunt pectora curę,
Ignauus stulta non sine mente labor.
Ingenuus labor, Aerios exquirere cursus,
Et geminos alta pergere mente polos.
Luminis & fonteis mirari, mixtaq; rerum
Semina, desertas percelebreisq; plagas.
Hoc tu precelles studio, qui regna cohercet,

Et centum subeunt molle cubile lupę.

Ad Eundem.

Iane scrobes furor est hominum stagnare liquore,
Plectere & Aemoniis aera carminibus
Non excantati prędicent postera manes,
Nil tibi ,nil uultus dixerit Exanimis.
Sęcla futura sibi superi prescire reseruant,
Fatorum nemo cæca uidere potest.
Nil Tanaquil pręsentit iners ,non sydera torquet
Rhombus, Arabs ,Cylices omnia uana canũt
Nec numeris potuisse suis reuocare Thrasyllum
Quicquam rere,putet quem furor acer agit,
Custodi precor ipse animam , uentura Tonanti
Da tantum, & noris téque tuam'que domum.

Cosmo Pinello.

Qui se metitur ,trutina cui uiuitur æqua,
Blandiri Cosmo libera musa caue.
Dediscis ne tuum morem? tu turpia carpis,
Candida sollicita prosequerisq; Lyra
Candidius Cosmo nil est ,nil sanctius uno,

Nil laudabilius, simpliciusue nihil.
Hęc te de Cosmo moneo, nun blandior inquam?
Blanditur quisquis fœda, decora facit.
Marco Antonio Casę Nouę.
Ne ualeam si non Marco blandissima ridet.
Nais, & Ascræi numina sacra iugi.
Latoia hic Lauro Pyndũ, Bacchique Corymbis,
Aeternis Dyrcen cingit arundinibus.
Vnde noui uates citharam, sacrasq; corollas,
Vocaleis potus, non sine honore trahunt.
Te talem omnino decuit noua Regia nasci,
Quo bene sit uersu picta Columna tuo.
De Ira ad Ianum Vincentium
Carapham.
Pręcipitem nobis iram coniunxit Honesti
Gratia, conueniens proficit ira nimis.
Quē tamen ira mouet, ceu quolibet excitus Euro
Pontus, & australi Populus acta Noto.
Perfurit ut stupidus post cędem matris Horestes,
Vt lite amissa de Telamone satus.

Magnanimus constat, si totus subruit orbis,
Dissipat examen nec leuis ira suum.
Iratus sęuit, spumat, fit decolor, orbes
Scintillant, extra turgida membra calet.
Socratici censura modi, censura Periclis,
His fudit subitis flumina fulminibus.

Gaspari Xerxali Asellię Regulo.

Vna ego Pieridum Gaspar Clarissime Clio,
Aduenio sedem non peregrina tuam.
Syncęriq; fero plenum tibi pectus Amoris,
Hoc mihi quod possim nil dare maius erat.
Rarus amor Diti super additur, hunc ego Diti
Polliceor, rari munus Amoris habe.

In laudem operis Pompeij Columnę
de fœminis Illustribus.

Non poterat magnos Heroas maximus Heros,
Mirari, non Mars obstupet arma Ducum.
Texuit historiis sed enim admiranda uerendis,
Matronę ut gestis pręniture Ducum.
Hic regna ut reparat, stratas regit Heroinas,

Cuius semideis inclyta uita sat est.

De Ioanne Baptista Carapha Castri Veteris Marchione.

Dic ne potest rerum mentiri mater Apollo,
Vt malus Aerio regnet in ore uigor?
Ori inquã interdũ turpi mens pulchra, Corusco
Atra latet, Pulcher pulchraq; corda tegit.
Sed Baptista modo Calabris qui regnat in oris,
Qui Gethici Martis, qui Iouis ora gerit.
Fallitur hic natura refert? quin se probat immo,
Ingenij gemmis, corporis auxit opes.
Vt Mars deterret, Iouis instar munera confert,
Mẹnalio exornat fortia corda deo.
Hanc maiestatem uultus, & mentis origo
Antiquẹ stirpis non sinit esse trucem.

Ad Alalchonem.

Qui pia cẹlestum deuouit numina Diuum,
Mox humili iratos inuocat ore Deos.
Auditur, sic nos audiri maxime Alalchon
Quẹrimus, & si ius quod regis, obruimus.

De Bernardino Martirano.

Noluerant ueteres iras Amathuntia, Pallas;
Quom Dea Munychię tristius arcis ait.
Nata Iouis, post Nasicam, Diuosq; Catones,
Cæcius abrupto uiuimus in Barathro.
Omnibus obterimur, per me nil sufficit, Orbi
Adueniat, qui me scandat ad astra Duce.
Ocia damnentur, uariisq; illisa procellis
Mens hominum, dixit, Cypria munus obit.
Aureus exiliit hinc Martiranus, ab ortu
Intumuit Pallas, detumuitq; Venus.

Ad Mariam Cardonam.

Si rursus cælum, mundi distingueret Author,
Syderibus Phæben subiiceretq; nouam.
Ad superos subducta fores Cardona, Dearum
Maxima, Noctiuagam te gereresq; Deam.
Non tibi germani seruirent lumina Phæbi,
Non obscurato deficeresq; gradu.
Non desęuires in quarto languida cursu,
Horrerentq; tuum corpora nulla gelu.

Sentires rapidi nullosq; Cupidinis igneis,
Extraheres toto latmia membra toro.
Hanc contra lux una minor cælestis hebescit,
Altera uincetur sospite prima uiro.

Ad Eandem.

Dum Cardona tuos emittis ad æthera cantus,
Fingis & Aerios arte iuuante modos.
Pieriį saliunt colles, Pangæa resultant,
Hippotadæ rapidi sternitur ira minax.
Quanta tibi supero concordia constat olympo,
Ille suos numeros exprimit, ipsa tuos.

Mittit Librum ad Eandem.

I pete Cardonæ stellantia lumina Diuæ,
I liber auspicio facte superbe tuo.
Si tibi contingit lepido feruescere tactu,
Aetheriis dum tu uolueris articulis.
Hinc siquidē flagraret Onyx, flagraret Ophites,
Perpetuó q; rigens Strymonos unda gelu.
Parce precor uiolare sacras liber impie palmas,
Castra animi poterit frangere nulla phalāx.

Ad Pyrrhum Antonium Taurellum Ducis Ferrarię Legatum.

Orator latius fœde propulsus abiuit,
Cum peteret struxit que pater arua Taras.
Ille idem Inoi transuectus tecta Lechęi,
Impia ne dicam uerbera, uerba tulit.
Hoc obitus Ephyre peperit, prostratus & illo
Pyrrhus, Achillęos dedecorauit auos.
Cenchreus Taurelle tibi, Tellusq; Phalanti
Cessisset, Romę iussa secutus Herę.

De Scipione Summa.

Quęrenti cur Scipiades ęnigmata legum
Soluisset dudum, graia Minerua refert.
Hunc ego ab initio summum castróue foróue
Experiens, uitę tempora dissecui.
Post quam tot sphyngos nexus in iure retexit,
Hortatu Martis bella ciere tuli.

Pro sapiente in uulgus.

Non furor est sapiens irę quo perfurit æstu,
At solers ratio corda diserta mouet.

Sæpius & tacito compescit pectore causas
Irarum, sed tum cernere turba nequit.
Mox longa in subitos trahitur patientia motus,
Hinc sapiens uulgo creditur esse leuis.

Ad Marium pro Antonio Pierio Poeta.

Dum cupido tenerum Vati transmiseris Hędum
Scite Mari, Vatum pectora nosse potes.
Sic pecus hoc, cultos pascit, lenitq; Poetas
Vt Samium pauit grande Polenta senem.
Quom tamen insonti iugulum defoderis illi,
Errasti, uiuo gratia maior erat.
Viua canunt Vates, nullo casuraq; telo,
Gratior & uiuus Vatibus Hędus erit.

De Iano Francisco Gesualdo.

Viderat illustri Gesualdum fronte nitentem,
Purpureisq; genis Iuppiter Omniuolus.
Hic ait, apponet nostrę carchesia mensę.
Ales abi, & tantum subripe in astra decus.
Accepit patris calidas Amathuntia uoces,
Impetrat Odrysio seruiat ille Duci.

In Cuppam detractorem.

Corpore qui uasto, uastos uixisse Gigantas
Monstras, cui plenus turget Aqualiculus.
Hydrope qui langues, cui uis non ulla seueræ
Anticyræ, nubem demeret ingenij.
Extremę rudior zonę tellure relicta,
Dum me subtaxas, nil mihi Cuppa noces.
Non minui, non augeri popularibus auris,
Virtutis poterit regius ipse Decor.
Corpus idē remanet, cui nunc decreuerit umbra,
Nunc crescet zephyri sole petente domos.
Cuppa doce pueros Donati flectere musam,
Inter Mæandri perstrepit Anser Aues.

Iano Vicentio Caraphę.

Subsistam nunquam Gradiuo pręstat Apollo;
Sithonio colitur Pallados ara choro.
Quid certas? fato cedunt uirésque furórq;
Hęc decies quamuis Medica rura doment.
Non auibus, non irato sapientia cælo
Subiicitur, Martem fulmina iacta fugant.

Victricem omnino tutabitur Aegida Pallas,
In ueterem redeant omnia congeriem.

Ad Antoninum Siscarem secundum
Agelli Regulum illustrem.

Antonine colis dum nobile culmen Agelli,
Vnde tibi Titulus fulget, & altus Honos.
Nõ Venere, aut somno marces, sed grãdibus ausis
Erectus, Phœbum non semel ore refers.
Pretereo formam, seu musis consona dictes,
Seu placeat syluis exagitare feras.
Inclyta complexus ueterum uestigia patrum,
Sed tibi adhuc tenero pectora cana uigent.

In laudem Aelij Tolentini Lucani.

Suspectis licet occurrat Lucania syluis,
Si tibi uisetur Brucia forte Liber.
Nil tamen insidias horrebis, & aspera tecta,
Multa Tolentini te teget aura mei.
Huius tu Genio, musis & Apolline fultus,
Barbarico poteris tutus, abire sinu.

In obitu Paridis Schipani.

Dum Paridem Lachesis stygio demerseris Orco,
Nil tibi nil sęui non licuisse potest.
Horrescat ratio, grauitas matura, sagáxq;
Consilium, Pietas, innocuęque manus.
Omnia defecto sunt hęc tumulata sepulto,
Hęc Paridem extinguens omnia Parca rapis.
Sed dum sensisti terris migrare paratum,
Non curas Genti consuluisse suę.

Pharusio Corregiensi.

Nil mortale sonat Pharusi lingua, sed antri
Corycij uoces, Aoniumque melos.
Dum posset tetrico prosternere pectora uultu,
Allicit Hyblęis effera corda fauis.
Hęc est humani uirtus clarissima Regis,
Qui non uult metui sed iuuat amplus amor.
Hic sese spernit, non uult commercia Diuôm,
Qui te non optat, qui tua uerba fugit.

Ad Antonium Baratuccium.

Ni superis tua iura uelit considere regnis
Iuppiter, atque omni frendere posse foro.

Tartareas regeres Antoni iustior umbras,
Te tremeret Stygij regia tota laris.
Cederet urna tibi sacras Minoia sortes,
Aeacus Astrææ disceret orsa tuæ.
Vt potuit ratio pugnaci in pectore figi?
Mars mire affulsit rectaque libra tibi.

De Cynegiro.

Cernis ut attonsis morsu currentia palmis,
Cunctetur socius Carbasa Callimachi.
Hic in terribili Medos ad littora pugna
Insequitur, dextra detinuitq; rates.
Hanc perdit, constans remoratur rostra sinistra,
Dentibus, ore meret truncus utraq; manu.
Hic fuit Attææ rarissima gloria gentis,
Hoc omneis uicit pectore Cecropidas.

De Androclida Sparthano.

Cum peteret Martis bellacia tela furentis,
Cunctanter claudis Passibus Androclidas.
Increpitum dixisse ferunt, ne forsan abiret,
Claudum, militiæ concupiisse decus.

In Marium.

In piceis Cryptis patre de fossore, secante
Non proprias messes de genitrice satus.
Frater ubi assiduo terram proscindit aratro,
Et bene fingendis incubat imbricibus.
Me premit alloquio, cœno dum se erigit imo,
Demissam à Pico dum memorat sobolem.
Stentore plus multo pulses mihi sæpius aures,
Suffulcire Mari debitata nequis.

De Longareno.

Eximię si nos fallit non frontis imago,
Et referunt animum grandia membra parem.
Impauidus stares Telemona, & Pelea contra
Longarene, Caco grandior, & Tytio.

De Placido Sangrio.

Telluri diuersa patent, diuersaq; cælo
Lumina dissimilis uultus utrisq; manet.
Saturnus croceo liuet pallore, Gradiuo
Igneus est ardor, pręnitet ipsa Venus.
Latoię nunc lux est, nunc nox Heroinę,

Mitior est summi pulchra figura iouis.
Diuersas hominum progignunt semina formas,
In pecudum fœtus conueniuntq; nouos.
Hinc uis immenso uaria est, diuersaq; mundo,
Non constat cœlum non humus ipsa sibi.
Nos paruus dicti mundus, furimusq; ciemurq;,
Instabili motu, mobilibusq; genis.
Ast Placido placidum pectus, placidiq; colores,
Semper erint, mundi & machina tota ruat.

Diogenis responsum.

Quas habet insidiis inquit cur palleat aurum,
Dicere commonitus Diogenes Cinycus.

De Portia

Pectore sublato mortalia corpora uiuunt,
Viuimus, & nostrum Portia pectus habet.

Ad Petrum Toletum Minorem.

Vt maris Ionij mediis exterritus undis,
Optat littoreum radere nauta solum.
Vt Marij sitiens ardebat flumina Miles,
Quō bene suada sitis Cymbriea castra domat.

Vt qui debet opus uolucrem desyderat annum,
Vt remeare Tagum tuq; Tolete cupis.
Sic ego germani cupio fera uincula rumpi,
In desyderiis est breuis hora dies.
Da mihi te facilem, Tegeęs cape munus alumni,
Tu poteris nostrum solus adire iouem.

Ad Eundem.

Dicturus tibi uerba nouem, ne carmina temnas,
Auxilium causę sisque Tolete meę.
Hispano Hispana metui depromere lingua,
Nec sat Hispanos Itala uerba mouent.
Ecce tibi latia facunde Tolete Camęna,
Vt fortuna sinit tristius ista cano.
Hęc sunt illa nouem, dixi, ne carmina temna,
Auxilium causę sisque Tolete meę.

Da Fabio Maximo & M. Marcello.

Et Clypeo, & Gladio populi sua męnia seruant,
Obiice nunc opus est, nunc tonet arma furor,
Me latet an Fabius cunctans, an feruida dextra
Marcelli, prisco plus dederit latio.

Huic ferro se uicta dedit fera Syrtis, & Hamõ,
    Marmaridas lepida molliit ille mora.
Hic quoquo cupiit Pęnorum compulit arma,
    Qua non uult Hostem pergere, at ille trahit.
Sæpius huic Hostis cessit, sed cessit & Hosti,
    Quo uult ille Hostem depulit absq; manu.
At Fabio mage, quam Marcello fata dederunt,
    Hic animo Libycis insidiisq; perit.
Ille senex clusit pacato Lumina Tybri,
    Et data sunt capiti, gramina digna suo.

De Sagunthо.

Usque eadem mentis uirtus, expersq; timoris,
    Ditia & ęra ruant, intereatq; salus.
Cui queat ęquari mansuro carmine uatum?
    Deficerent numeri summe Poeta tui.
Fida premebatur sæua obsidione Saguntbus;
    Terruerantq; suum punica castra solum.
Durat, & audacter socios remorata Quirites,
    Dum nouies lassos Luna refecit equos.
Passa famẽq; sitimq; grauem, ne fœdera soluat,

Inficiatq; suum proditione decus.
Auxiliis demum cunctantibus, abnuit Hosteis,
Estque sibi structo tota cremata rogo.
Quis satis id celebret? recuba tu mollis, & aude
Praeficere huic uitę sęcula mille neci.

In Laudem Petri Toleti Neapolitanorum Pro regis.

Arcis Pellęę, & Libycę uestigia Byrsę,
Prospexit Castri Machina tuta Noui.
Męnia miratur bimaris uastata Corinthi,
Exitium Solymę turris, & Ogygię.
Accidit informi quęrit quę causa ruinę,
Ambigit interitum tot mala questa suum.
Hanc tum uicinis sensit Neptunus ab undis,
Taliaq; erecto pectore uerba refert.
Arx mea, quą temno superos, qua Cęrula sulco,
Nil metuens uires, alteriúsue minas.
Hęc uenerata diu, croceo Rhamnusia uultu
Prostrauit, summis inuidet illa locis.
Hanc igitur metuam? non, tę retinente Toleto,

Huius ab inuicto nomine liuor abit.

De Eodem.

Ad nos cur misit Cæsar dic musa Tolrtum?
Hȩrebat lateri dextera tanta suo.
Hȩrebat mens, Hesperiȩ latus omne supremȩ
Qua poterat cingi, consilioque regi.
Dic? referam, placidis Cæsar suffecit Iberis,
Nam sine lite decet regna tenere Iouem.
Restabat longis repetita Neapolis armis
Gallorum, longo sollicitata metu.
Restabat Rheni manus inmansueta superbi,
Restabant magni flumina Danubij.
Mittitur in quascunq; uices sacer ipse Toletus,
Natus ut in domitos Marte iuuante domet.

De Eodem.

Inuidit Cæsar, gemuitq; ignobile tempus,
Spectans Pellȩi fortia facta Ducis.
Inuidit potuisse ratus uictricibus armis,
Aequare ingentis fortia facta Ducis.
Quid si spectaret frendentem Marte Toletum?

Diceret hic omnem prępipit inuidiam.

De Eodem *Neapolis.*

Insignem ferro, atq; Toga sortita Toletum,
Credideram turbas composuisse meas.
At magis inuidię mordenti lędor ab ore,
Nam maiore feror numine sola frui.
Roma petit, Venetusque petit, Pallasq; Toletũ,
Qui dedit & repetit multus Iberus aqua.
Aspirat Romę Venus, & trux pectore Mauors,
Defendit Venetos Doris, & Eridanus.
Tutatur Diuus charos sibi Cæsar Iberos,
Propugnat partes sola Minerua suas.
Ne trepidet Tybris, Venetus seruetur, Athenę
Quo redeant, iubeat quo Tagus ipse petit.

Ad Eundem.

Magne Tolete tibi felicia sęcla fuere,
Atque eadem nimium sęua fuere tibi.
Dum te uicinum supero genuere Tonanti,
Seu uim, seu sobolem, seu tua facta canam.
Dubuerat tecum nasci Smyrnęus Homerus,

Qui uim, qui sobolem, qui tua facta canat.

Decem pręcepta legis Antiquę.

Qui reges, qui regna mouet uenerare Tonantē,
Imperiurati sint tibi quique Dei
Sacra pie celebres suspenso festa labore,
Obsequiumq; tuum laudet uterq; parens.
Humano nunquam uiolentur sanguine palmę,
Obscuras furtis abstineasq; manus.
Falsidico fuge nequicquam testeris ab ore,
Legitimos uita contemerare thoros.
Alterius thalami ne sint quoq; mente petendi,
Deniq; syncęrus cuncta aliena caue.

Ad Virginem Mariam.

Si simileis itero uersus sanctissima Virgo,
Agnoscas animi pectora firma mei.
Sæpius oraui in portum mea carbasa uertas,
Quę scidit Ionij sęuior ira maris.
Hactenus in medio uexantur concita Ponto,
Da fessę Virgo littora tuta rati.

FINIS.